



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

VIII. De reis ab ecclesia non extrahendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

scuntur legitimo manumissi, aut per epistolam , aut per testamentum , aut per longinquitatem temporiis libertatis iure fruuntur , a quolibet iniustissime inquietentur. Vniuersa sacerdotalis congregatio dixit: Iustum est, vt contra calumniatorum omnium versutias defendantur , qui patrocinium immortalis ecclesiæ concupiscunt. Et quicumque a nobis de libertis latum decretum superbiæ ausu præuariare tentauerit , irreparabili damnationis suæ sententia feriatur. Sed si placuerit episcopo ordinarium iudicem, aut quemlibet alium sæcularem, in audienciam eorum accersiri, cum libuerit fiat , & nullus alias audeat causas pertractare libertorum , nisi episcopus cuius interest, aut is cui idem audiendum tradiderit.

VIII.

Item Christianæ religionis negotia pertractantes comperimus , quosdam pseudochristianos de sacrosanctis ecclesiis , suæ religionis oblitos , fugitivos subtrahere. Ideoque vim illatam nequaquam inultam relinquentes, censemus pro Dei timore , vt quicumque culpa compellente , aut potentum importunia non sustinens, suæ gremium matris ecclesiæ petierit , vsque in præsentiam sacerdotis in eodem loco inconcusse permaneat : nulli permettentes, quolibet dignitatis gradu functo, fugitivo etiam in locis sacris violentiam inferre. Si enim mundani principes suis legibus censuerunt , vt quicumque ad eorum statuas fugerit, illæsus habeatur ; quanto magis hi permanere debent indemnati, qui patrocinia immortalis regni & cœlestis adepti sunt ? Si ta-

men

ANNO CHRISTI 585. men aliquo facto tenentur obnoxii , qui ad eccle-
siam sunt a fuga versi, coram sacerdote culpæ eorum
innotescant , & ipse consultum ferat , qualiter Dei
habitaculum per subtractionem non violetur il-
lorum.

IX.

Licet reuerentissimi Canones, atque sacratissimæ
leges, de episcopali audientia in ipso pene Christia-
nitatis principio sententiam protulerint: tamen quo-
niam eadem postposita, humana in sacerdotes Dei
grassatur temeritas ; ita vt eos de atriis venerabilium
ecclesiarum violenter abstractos , ergastulis publi-
cis addicant : censemus vt episcopum nullus sœcu-
larium fascibus præditus , iure suo contumaciter
& perperam agens , de sancta ecclesia , cui præest,
trahere audeat. Sed si quid contentionis aduer-
sus episcopum potentior persona habuerit , per-
gat ad metropolitanum episcopum , & ei causas
allegeat , & ipsius sit potestatis honorabiliter episco-
pum, de quo agitur, euocare , vt in eius præsentia
accusatori respondeat, & oppositas sibi actiones ex-
tricet. Quod si talis fuerit immanitas causæ , vt eam
solus metropolitanus definire non valeat , aduocet
secum vnum vel duos coepiscopos. Quod si & ipsis
dubietas fuerit , Conciliabulum definito die vel
tempore instituant , in quo vniuersa rite collecta
fraternitas coepiscopi sui causas discutiat, & pro me-
rito aut iustificet , aut culpet. Nefas est enim , vt il-
lius manibus episcopus, aut iussione, de ecclesia tra-
hatur, pro quo semper Deū exorat, & cui, inuocato
nomine Domini , ad saluationem corporis animæ-

Concil. Tom. 13.

L